

Colloquium in Lutetia burg. Bercht 1585
Graefft & Schreyerius quis die Rerum in Prologum dicitur
Antidotum de f. aff. 1585. Et de hoc factus est 1590.
Rerum dicitur ab ipso proposito de quatuor partibus 1590.
in peregrinatione Rittermannus.
Repetitio Sanæ Doctrinae Luth. de Perfo-
na Christi et Coena Domini Praeside Doct:
Jacobo Andreæ Wittemb. 1580.
M. Friderici Petri responso ad Scriptū Bremerfin
adversus Collectores Epilogus 1585.
Oratio Georgii Sohn. Doct. Heidelberg. quoniam opus studiosus
ad cognitionem veritatis peribent
Instimulii Confessio p. Johannem Cogleru 1588.
Jacobii quis Wolffii mortulus primus 1582
Johannes Majoris P. parentatio Duci Electori
Augusto 1590.
Gernardi Asseburgi Epitaculum Johanni lunoni 1580.
ejusdem in Pauli Seidelii nuptias
ej. in Erasmum Johannem.
ej. in Jacobum Linstradnum
Simonis Henrici Savitus Vita Conjugalis 1576
Camina Gratulatoria in Jacobu Schönhäuser
Catecheyus alter Erzbischoffe in Magdeburg plaudita
Veretulus des Dreyfus in Salboveldt 1579
Johannis Sylvii Eyrani Sermons von den
Coniunctionis. 1522
Luc. Bachsteiner loci doctrine praecipui ex Ann. 1-4. Rost. 1590.

Liber Joachimij Stederj.

15

*LOCI DOCTRINÆ
præcipui*

**EX PRIORI
BVS QVATVOR CAPI-
TIBVS PROPHETÆ AMOS EX-**
*cerpti, & ad disputationum materiam pro-
positi, in Academia Ro-
stochiensi,*

A

*LVCA BACMEISTERO
S. Theologiae Doctore &
Professore.*



ROSTOCHII
Stephanus Myliander excudebat.
Anno 1590.

PRIMA DISPUTATIO
DE I. ET II. CAPITE
Amo.

Respondente
M. IACOBO BACMEISTERO
die 25. Octob. Anno 1589.

LOCI CAPITIS I.

I.



Rincipio illud constat, ipsius Christi mandato & exemplo, retinenda & legenda esse scripta veterum prophetarum in Ecclesia noui Testamenti, quia testimonium de ipso perhibent Lucæ 18. Ioan. 5. propoununt doctrinam pœnitentiæ & fidei, utilem ad salutem æternam Luc. 16. & de rebus postremis Ecclesiæ temporibus futuris vaticinantur, Matth. 24.

2. Idem docet Paulus electum Christi organum, & Doctor gentium, Roma. 15. Quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt. Loquitur enim disertè de scriptis prophetarum & veteris testamenti, ex quibus testimonia allegat. Et 1. Corint. 10. cum exempla aliquot & historias populi Israëlitici recitasset, addit: Hæc omnia per figuram contigerunt illis, scripta vero sunt propter admonitionem nostri, in quos termini ætatum inciderunt. Et 2. Tim. 3. Vniuersæ scripturæ sacræ usum monstrat, inquiens: Omnis scriptura θεόπνευστος utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

3. Fuerunt autem Prophetæ, doctores, immediate à Deo vocati & missi in populo Iudaico, & peculiaribus donis Spiritus sancti illustrati, ut doctrinam legis & Euangelij sub-

Iji subinde repeterent, cultus diuinos repurgarent, peccata regum & populi accusarent, & pœnas certo securas nisi agerent pœnitentiam prædicerent, vaticinia quoq; de aliorum regnum & gentium mutationibus & pœnis ederent, & in primis, ut promissiones de venturo Messia illustrarent, & per huius notitiam ac fidem Deo æternam Ecclesiam colligerent. Talis etiam Propheta Domini fuit Amos.

4. Iam cogitetur, quantum fuerit Dei beneficium, quod continua serie tot & tales prophetas excitauit in isto populo, nec desistit eos mittere, etiamsi populus ingratus esset. Sed non minus beneficium est, quod ipse filius Dei incarnatus & visibiliter prædicans Euangeliū, elegit Apostolos, & hos in totum orbem terrarum ad omnes populos misit, ut ex his Ecclesiam æternam prædicatione Euangeliū, quod ab ipso acceperant, colligerent.

5. Apostolis vero addidit fideles συνέργεις ac discipulos, viros plenos fidei & Spiritu sancto, & potentes in scripturis, ac deinde semper excitauit idoneos Doctores, qui ædificarent corpus Ecclesiæ, & subinde instaurarent sanctos in opus administrationis. Ephe. 4. Et nunc quoq; dat verbum suum cum magno exercitu Euangelistarum, ut Psal. 68. verbis utar, & per eos vocat homines ad pœnitentiam, ut salvi fiant, etiamsi multi ex his, qui vocantur, ingrati sunt & contemnunt verbum. Hoc tantum beneficium agnoscamus, & auctori eius grati simus, ac caueamus ne in vacuum hanc Dei gratiam acceperimus 2. Corin. 6.

6. Eligit Deus quæ sunt stulta in mundo, ut pudefaciat sapientes, quæ sunt imbecillia, ut confundat robusta, quæ sunt ignobilia & contempta, ut destruat magna & preziosa, ne glorietur ylla caro coram ipso, 1. Corinth. 1. Ita ad amplissimum munus propheticum eligit & vocat vilem pastorem Amos. Filius Dei ex pescatoribus & publicanis deligit Apostolos. Et plerique ad ministerium verbi sui vocat non eos, qui mundi huius splendore aut dignitate antecellunt, sed qui viles & postremi censemur, quia

vult preciosum illum Euangelij thesaurum gestari in testaceis vasculis, ut virtutis eminentia sit Dei, & non ex hominibus 2.Corinth. 4.

7. Sicut Prophetæ, Christus & Apostoli inchoant prædicationem suam à concionibus legis seu pœnitentiæ, ita vult Deus omnes Ecclesiæ ministros semper sonare vocem legis, per quam reuelatur ira ipsius super omnem impietatem & iniustiam hominum, Rom. 1. vt terreantur peccatores, & agant pœnitentiam. Errant igitur Antinomi, qui legem explodendam esse ex Ecclesia, & in forum relegandam sentiunt.

8. Amos similiter concionem suam inchoans à voce legis, comparat eam rugitiui leonis, qui terrificus est cæteris animalibus, eoq; effectum legis ostendit. Lex enim accusat & terret omnes peccatores, monstrato peccato & ira Dei, estq; ministerium mortis ac condemnationis, 2.Corin. 2. Euangelium vero est suauissima vox Dei, quæ gratiam & vitam offert omnibus agentibus pœnitentiam, propter mediatorē Christum fide appræhensum. Ioh. 3. Sed huius vocis nullus usus est, nisi præcesserit rugitus ille & accusatio legis.

9. Deus patiens est, & aliquamdiu conniuet ad peccata hominum, & impune sinit grassari impios in Ecclesiā. Verum tandem cumulata malitia & tyrannide euigilat, & tarditatem pœnæ maiori severitate compensat. Id quod in Syria, Philistinis, Idumæis & alijs impijs gentibus, quæ populum Iudaicum perpetuò afflixerunt, earumq; grauissimis pœnis, juxta prophetam Amos declarauit. Ita singulos impenitentes & securos Paulus monet, ne abutantur Dei bonitate & tolerantia, qua ad pœnitentiam inuitantur, & duritia cordis colligant sibiipsis iram in die iræ, Rom. 2.

10. Insignis consolatio Ecclesiæ est omnium temporum, quod Deus curam gerit populi sui, & omnes hostes eius agnoscit, videt & accusat illorum furorem & tyrannidem, atq; exitium ipsis minatur. Et quamuis nunc quoq; sensens Ecclesia est velut ouis in medio luporum, & à potentissimis ac crudelissimis hostibus circumdatu& oppugnat, ta-

tur, tamen quia filius Dei in medio eius est, non commouetur, Psal. 46. nec portae inferorum præualebunt aduersus eam, Matth. 16. Hæc consolatio pertinet ad articulum Symboli: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.

LOCI CAPITIS II.

I.

V^{er}itatis Dei tanta & tam æqualis est, vt vindicet omnem iniuriam & iniuriam, non solum bonis & pijs illatam, sed etiam impijs & malis, sicut Moabitis atroces pœnas denunciat propter eam crudelitatem, quam in ossa regis Iudæorum exusta perpetrarant, cum tamen vtriq; impij & Idolatræ essent. Nam sibi vult tradi vñtionem nec quenquā illa specie, quod inimicus aut malus sit, iniuria affici, juxta illud: Mihi vindictam ego rependam. Deut. 32. Rom. 12. Et cum totius mundi Dominus, nec Iudæorum tantum, sed & gentiū Deus sit, vbiq; terrarū, & inter omnes gentes exercet justitiā suā, & ab omnib. disciplinā flagitat, ac vult timeri.

2. Vastationes & ruinæ magnarum gentiū & imperiorū, ac tragicī casus & interitus potentissimorū regum ac principum, non eueniunt casui, aut humanis tantum consilijs & potentia, sed Deo secundum justum judicium suum ita discernente, & efficiente per certa media, quibus tanquam instrumentis iræ suæ vtitur. Ipse enim dominatur in regnis hominum, & cuicunq; voluerit dat illa, Daniel. 5.

3. Ecclesia quoq; seu pij, qui sunt veræ Ecclesiæ membra, in errores doctrinæ & falsi cultus incidere possunt, si à verbo & mandatis Dei recedant, & vel proprias cogitationes, vel exempla parentū aut maiorum suorum sequantur, sicut fecit populus Dei in regno Iuda tempore Amos & aliorum prophetarū. Item Aaron consentiens in idolatriā vituli aurei, absente Mose, Exod. 32. Principes populi Israël ad idolatriam Baalpeor & ad fornicationē pertrahūt, Num. 25. Apostoli errant de regno Christi etiam post ipsius resurrectionem Act. 1. Petrus errat in facto, cum à gentibus se subducit accendentibus Iudeis, ac simulatione Iudaismi vtitur.

A 3

Qui

Qui error cum veritati Euangelij noceret, à Paulo manifeste reprehensus est, Gal. 2.

4. Vult autem Deus singulos homines non modo fidem sed etiam opera gubernare, secundum eam normam, quam ipse sua voce tradidit, sicut dicit Deut. 12. Quod ego tibi præcipio, hoc tantum facito Domino. Et Ezech. 20. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, sed in præceptis meis ambulate. Hæc opponantur Papistarum clamoribus, qui contendunt, non posse errare Ecclesiam, quam ipsi singunt, & antiquam consuetudinem, exemplaq; & autoritatem patrum semper in ore habent, vt defendant errores & superstitiones suas.

5. Deus non parcit etiam Ecclesiæ seu pijs, quando se decipi sinunt, & vel in errores, vel in alia delicta ruunt, nec custodiunt legem & mandata Domini. Sicut non pepercit regno Iuda, in quo erat sancta vrbs Ierusalem, & templum ab ipso electum in locum habitationis & cultus sui, vbi tot prophetæ & pij reges fuerunt, cum spreta Dei lege Idolatriam patrum & vicinorū suorum sectaretur. Vult enim iudicium à domo sua inchoare, vt pij emendentur, & justitia eius conspectior fiat coram impijs, quò & illi eam metuant.

6. Exempla horrendorum scelerum in regno Israël, sunt pictura peruersitatis naturæ humanæ, & corrupti status politici, vbi nulla est justitia aut judicium, sed iniquitas, tyrannis & licentia omnium turpitudinum regnat. Referunt quoq; imaginem postremæ huius ætatis mundi, cuius malitiam & impietatem etiam Christus & Apostoli prædixerunt.

7. Ut autem Deus ingenti bonitate populum Israël, missis excellentibus prophetis, ad pœnitentiam vocauit, nec tamen quicquam profecit: ita nunc quoq; restituta luce Euangelij, per fideles eius doctores assidue arguit peccata hominum, & nisi conuertantur, iram suam & tristes pœnas comminatur. Sed pauci sunt, qui huic voci obediunt & emendantur. Ideoq; sicut tunc Israélitis accidit, ita & nunc pœnæ imminent, & breui sequetur repentinus mundi interitus.

8. Cum

8. Cum jubet Deus populum Israëliticum considerare & perpetuo recordari beneficiorum spiritualium & corporalium, quibus cumulate eum affecit, & simul ingratitudinem ei exprobrat, quod tam cito & facile illorum oblitus esset: nos quoq; singulos moneri statuamus, ut beneficia ipsius erga nos largissima & ineffabilia assiduè consideremus, & grata mente retineamus. Neq; enim minora sunt hæc, quæ nobis præsttit & præstat, quam illa Israëlitarum, vt verbi causa, donatio filij, & per eum parta spiritualis redemptio, constitutio & conseruatio ministerij Evangelij, missio salutarium doctorum, propagatio & defensio Ecclesiæ, nutritio, gubernatio in vocatione, bona valetudo, politiæ honestæ, pax & tranquillitas publica, & plura alia. Pro his tantis beneficijs quotidiè Deo grati simus, & maiori pietate atq; obedientia ipsum vicissim colamus, ne & nostra ingratitudine offensus, auferat rursus hæc beneficia, & grauius nos puniat.

9. In judicio & pœnis diuinis nihil præsidij aut effugij adferunt ullæ vires, opes, sapientia, audacia & celeritas humana. Quod enim Deus decreuit, nemo potest infirmare, nec manum eius quisquam effugere potest. Esaïæ 14.



SECVN.

SECUNDA DISPUTATIO
HABITA 14. FEBRVA-
rij, Anno 1590.

Respondente
PAVLO PETREIO ROSTO-
chienſi.

LOCI DOCTRINÆ IN
III. capite Amos.

I.

Prophetarum conciones sunt ipsa vox Dei, quam omnes homines audire & sequi debent cum magna reuerentia. Suæ quidem genti Israëliticæ concionati sunt, sed doctrinæ & prophetiae eorum scriptis comprehensæ, ad totam Ecclesiam pertinent, & Christo, qui Ecclesiæ caput est, testimonium perhibent. Ideoq; scripta illæ legi ac scrutari jubet Christus, etiam in nouo testamento, ut vera ipsius agnitus, & vita æterna inde petatur, voluntas Dei in cultu ipfi debito, & totius vitæ obedientia discatur, promissiones & exempla gratiæ in populo Israël, nostram quoq; fidem confirmant, comminationes vero & exempla justitiæ, timorem Dei in nobis exuscitent.

2. Omibus temporibus collegit & colligit Deus mi-
randa bonitate Ecclesiam in genere humano, per ministerium Euangeli, quam præ cæteris gentibus cognoscit, hoc est, diligit, curat, regit, defendit & seruat, & ad vitæ æternæ hæreditatem propter filium suum acceptat. Sic olim po-
pulum Israël tantummodo cognouit ex omnibus cognationibus terræ, quem propter Messiam ex eo nasciturum elegit, & Ecclesiæ suæ sedem in eo collocauit. Exhibito autem Messia, alias quoq; gentes, quibus ipsum patefecit per Euangelium, elegit & cognouit, & Ecclesiam suam in eis per-

eis perpetuò plantat & seruat usq; ad finem mundi. Solidum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouis Dominus qui sunt sui, 2. Tim. 2.

3. Crux & afflictiones sunt individui comites Ecclesiae, quibus Deus partim visitat peccata filiorum suorum, ut in timore suo & assidua pœnitentia eos retineat, partim fidem eorum ac patientiam probat. Quem enim diligit Dominus hunc corripit, Proverb. 3. Heb. 12. Et judicium à domo eius incipit, 1. Pet. 4.

4. Comparationes horrendæ & justissimæ iræ Dei aduersus impios & contumaces, sumptæ à leone rugiente capta præda, ab aucupe laqueos tendente auibus, nec nisi captis ijs retrahente, & à tuba in incendio vel irruptione hostis clangente in ciuitate, docent timorem Dei, & confirmant prouidentiam. Nec enim casu eueniunt pœnæ & res aduersæ hominibus, sed Deo peccatis illorum offenso, vel efficiente vel permittente eas, secundum justiciam suam. Nec est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Malum vero illud non est culpæ, sed pœnæ.

5. Singularis est Dei bonitas, quod non tacite irascitur, nec subito vindicta ac pœnis obruit non præmonitos, sed per prophetas aliosq; ministros Ecclesiæ, peccata prius monstrat & arguit, & iram suam ac pœnas imminentes patetacit & denunciat, ut ad pœnitentiam homines vocet, qua pœnæ etiam decretæ & denunciatiæ auertuntur.

6. Prophetæ & cuiusvis fidelis Ecclesiæ ministri definitio hic tradita obseruerur, quod sit seruus Domini, secretum seu verbum Domini sibi reuelatum aut præscriptum jussu Dei constanter prædicans, non habito villarum personarum aut proprietorum etiam periculorum respectu.

7. In publico ministerio notoria peccata publicè vult argui Deus, & remoueri manifesta scandala in Ecclesia, propter quæ nomen Domini blasphematur inter gentes, Rom. 2. 1. Timot. 5.

8. Punit Deus iniustiam, tyrannidem, iniqua judicia, expilationes & rapinas, bellis, vastationibus, tragicis gu-

B

berna-

bernatorum casibus, excidijs vrbium, & alijs tristissimis
malis. Et opes fraude, calumnijs & iniurijs aliorum con-
quisitae, alienis potius, quam proprijs hæredibus parantur,
ac perpetuae maledictioni obnoxiae sunt. Discant ergo
singuli justiam, moniti exemplis populi Israëlitici & ali-
orum, & colligant sibi thesauros in cœlis, ac diuitijs justè
partis vtantur ad gloriam Dei, qui eas dedit, & ad benefi-
centiam erga pauperes. Matth. 6. 1. Tim. 6.

9. Deus etiam iratus peccatis hominum, recordatur
misericordiæ suæ, & pœnas mitigat, vt aliquæ seruentur
Ecclesiæ reliquiæ. Et exiguum ac imbecillum Ecclesiæ
suæ cœtum, similem gregi ouium in medio leonum aut lu-
porum, mirabiliter defendit ac sustentat, ne prorsus deuore-
tur & intereat. Hæc consolatio in præsentibus Ecclesiæ
persecutionibus & ærumnis, & in tanto hostium numero,
furore ac potentia, necessaria est.

10. Pœnæ vniuersales, quibus tota regna, gentes, vrbes
euertuntur, sunt testimonia de horrenda ira Dei aduersus
idolatriam, iniusticiam, libidines, aliaq; atrocias delicta, &
de æternis impiorum pœnis: item reales pœnitentiæ con-
ciones, toti generi humano & singulis hominibus proposi-
tæ, vt agnoscant & timeant justum Dei judicium, qui non
parcit vlli delinquenti, nec tantum corpora & bona nostra
in sua potestate habet, vt affligat ea & perdat, sed si-
mul animam & corpus punire potest in
gehenna, teste Christo,

Matth. 10.



3. D I.

TERTIA DISPUTATIO.

DE IIII. CAPIT&E
Amos.

Respondente

ARNOLDO GLASERO OTH-
mariense, die 5. Septembris, Anno
1590.

LOCI CAP. IIII.

I.

Onciones pœnitentiæ non solum in genere, sed etiam in specie proponendæ sunt his, qui notoriè peccant, non habito personarum respectu, siue diuites ac potentes illi fuerint, siue ex humili plebe. Sicut Amos hoc loco diserte accusat principes & sacerdotes populi, exercentes manifestam tyrannidem, auaritiam & luxum. Idem faciunt cæteri Prophetæ, immo & Iohannes Baptista ac Christus ipse. Quorum exempla imitentur omnes fideles Ecclesiæ ministri, & cogitent se non hominibus sed Deo seruire. Qui autem hominibus placere cupit, Christi seruus haudquam esse potest. Gal. 1.

2. Picturæ, quibus peccata hominum voce ministerij describuntur ac notantur, non sunt iniuriæ politicæ, vt multi judicant, sed justæ ac necessariæ Spiritus sancti reprehensiones, & imagines malitiæ & impunitatis eorum qui peccant, in judicio Dei. Ita Amos principes & sacerdotes appellat vaccas pingues, Esaias, semen nequam, principes Sodomorum, socios furum. Christus & Baptista nominant pharisæos serpentes & progeniem viperarum, Matth. 3. 23. Impios & deditos voluptaribus Christus vocat canes & porcos Matth. 7. Herodem vocat vulpem

B 2

Luc. 13.

Luc. 13. Paulus pseudoapostolos appellat canes ac malos operarios, Philip. 3. Neronem Cæsarem, leonem, 2. Tim. 4.

3. Tales aut his similes appellationes & imagines, quia vel ad arguendos & emendandos malos, vel ad cauendam eorum consuetudinem, atq; ita ad ædificationem Ecclesiæ diriguntur, procul distinguendæ sunt ab iniurijs ciuilibus, quibus fama aliorum læditur.

4. Status regni & aulæ Israëliticæ, qualem hic Amos describit, expressa imago est tyrannici imperij & aulicæ vitæ, vbi per calumniam & vim opprimuntur pauperes, dominatur impietas, auaritia, luxus, temulentia, absq; vlo Dei aut hominum metu. Cum vero status iste docentibus summis Prophetis in Israël emendari non potuerit, nos quoq; non miramur, quando in hac luce Euangelij similia fieri in imperijs & aulis multorum principum videmus. Nec tamen segnissimum officium suum facient pij ministri in taxandis peccatis illis, licet derideantur & explodantur, sicut olim Prophetis accidit.

5. Iurejurando utitur Deus tam in promissionibus quam in comminationibus suis, ut firmitatem consilij sui ostendat, & fidem in promissiones validius confirmet, timorem vero & metum iræ suæ ac pœnarum in animis securorum magis exuscitet.

6. Iurat autem hic per sanctitatem vel sanctuarium suū hoc est, per templum Ierosolymitanum, vbi locum habitationis & sancti cultus sui elegerat. Alibi jurat per seipsum, per vitam, per dexteram suam, per nomen suum magnum, per animam suam. Maiorem enim, per quem juret, quam semetipsum, neminem habet, Hebr. 6. O beatos igitur nos, quorum causa jurat Deus: Omiserrimos, si ne quidem juranti Domino credimus, vt eleganter inquit Tertullianus in libro de pœnitentia.

7. Pœnæ respondent peccatis, quia Deus justus est, & reddit unicuiq; secundum opera eius, Psal. 62. Matth. 16. Rom. 2. Sic Deus potentes & diuites in populo Israël, qui pauperum spolijs & assidua ebrietate se saginabant, velut

vaccæ

vaceae pingues, Assyrijs tanquam laneis maestandos tradidit, exilioq; fame, siti & tristissima seruitute vicissim puniuit. Ita diues epulo post mortem acerbissima siti torquetur in flamma inferni, Luc. 16.

8. Discernendus est verus Dei cultus à falso. Verus est, quem Deus ipse expresso verbo suo instituit. Falsus, quem homines propria autoritate & consilio eligunt præter verbum, etiamsi in speciem videtur sanctissimus. Semper enim in cultu diuino regulæ in conspectu sint: Quod ego tibi præcipio, hoc tantum facito Domino, Deut. 12. Item. Frustra me colunt, docentes doctrinas quæ sunt præcepta hominum. Esa. 29. Matth. 15.

9. Ut autem Israëlitæ libentius & ardenter studio falsos cultus sestabantur, quam verum cultum à Deo præcepit, eosque contra Prophetas acerrimè defendebant: ita semper irrepunt in Ecclesiam falsi & impij cultus, quibus magis delectantur homines, quam his, qui diuinis mandati sunt, eosque obstinato furore propugnant. Quo scandalo ne pij offendantur monet Christus, Io. han. 16.

10. Fames, pestis, bella, extremæ vastationes, & execidia regnum, vrbium & gentium, sunt pœnæ idolatriæ aliorumque peccatorum à Deo immisæ. Sic & tempestates aduersæ, siccitates, venti urentes, rubigines, sunt quasi ministri seu instrumenta iræ diuinæ, etiamsi ex causis naturalibus interdum oriantur. Et rursus, fœcunditas agrorum, tempestiuæ pluviæ, sanitas, pax, Dei dona sunt, & testimonia bonitatis eius, quam vult singulos grata mente agnoscere, prædicare, & recte usurpare.

11. Calamitatum & pœnarum finis est, vt homines convertantur & redeant ad Deum percutientem se, Esaiæ 9. hoc est, desinant à peccatis, & discant obedire Deo: Eamque ob causam pœnas sæpè iterat, & magis etiam exasperat, vt quasi impellat & adigat securos & obstinatos ad pœnitentiam.

12. Singularia iræ Dei exempla, ut diluuium, euersio Sodomæ & Gomorrhæ, deletio vrbis Hierosolymæ, & totius politiæ Iudaicæ, & his similia, toti generi humano proposita sunt, vt doceant timorem Dei, & semper ac singulis concionentur de justitia Dei, vindicibus flammis omnia sibi contraria delentis, & de pœnitentia mature agenda. Idem docet Christus Luc. 13. Paulus 1. Corint. 10. & Petrus 2. Petr. 2.

13. Testimonium est de pluribus personis in una diuina essentia, cum dicit hoc loco Dominus, quod subuerterit regnum Israël, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrhā. Vbicunq; enim Dominus de Domino loquitur in scriptura, tanquam persona de persona, ibi pluralitas personarum diuinitatis significatur. Sic quod in hac ipsa historia subuersionis Sodomæ scribitur. Gen. 19. Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrah igrem & sulphur à Domino: orthodoxi patres ita interpretati sunt, quod Dominus filius pluerit à Domino patre, non idem à seipso, vt patet ex decreto Synodi Sirmiensis, quæ extant in Socrate scriptore histor. Eccles. lib. 2. cap. 30.

14. Nec solum duæ personæ in his & alijs testimonijis indicantur, sed etiam tertia, videlicet, Spiritus sanctus, qui semper una adest, & hæc per Prophetas locutus est, simul intelligitur, vt grauissimè demonstrat Lutherus in commentario super nouissima verba Davidis.

15. In vniuersalibus pœnis & excidijs magnarum gentium, regnorum & vrbium, semper aliquæ reliquiæ conservantur, & velut torres ex incendio rapiuntur, diuina manus & bonitate, vt sint nouum Ecclesiæ seminarium. Quia non vult Deus prorsus interire Ecclesiam, sed ex gratia servat reliquias & semen aliquod sanctum, Rom. 11. Esa. 6.

16. Vera & salutaris pœnitentia est, juxta Prophetam, ex præteritis & præsentibus pœnis agnoscere iram Dei aduersus peccata, & præparare se in occursum Dei, videlicet petitione veniae, fide promissionis de Christo, & serua vitæ emendatione. Sic enim rectè occurritur Deo irato & persecutienti,

cutienti, vt auertat pœnas, & iram suam in gratiam con-
uertat.

17. Testimonia potentiae & prouidentiae Dei in creatio-
ne, conseruatione, & gubernatione omnium rerum propo-
fita, conuincunt, esse hunc verum & solum Deum, distin-
ctum ab omnibus creaturis & commentitijs luminibus,
eumq; super omnia metuendum, diligendum & colendum
esse, quod & Paulus docet, Rom. 1.

PIA DECRETA SYNODI
SIRMIENSIS, HABITÆ SVB CONSTANTIO
Imper. Anno Christi 354. contra Pho-
tinum, negantem trinitatem, quo-
rum mentio fit in 13. huius
disputationis
loco.

Si quis illud : Faciamus hominem, non Patrem ad Filium,
sed ipsum Deum ad seipsum dixisse sentit, anathema sit.

Si quis illud : Pluit Dominus à Domino, non de Patre
& Filio accipit, sed eundem à seipso pluuisse dicit, anathema
sit. Pluit enim Dominus filius à Domino patre.

Si quis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum unam di-
cit esse personam, anathema sit.

Si quis Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres Deos
esse dicit, anathema sit.

D. MART. LUTHERI TE-
STIMONIVM, EX LIBRO DE NOVISS. VER-
bis Dauidis, citatum in 14. loco.

HAnc tibi, Lector, tanquam certissimam regulam tene-
to, vt vbiq; in scriptura legis, Deum loqui de
Deo,

Deo, tanquam distinctas personas (seu tanquam personam de persona) ibi tuto adfirmes, notari & significari tres personas diuinitatis, Ut cum hoc loco ipse Dominus loquitur & nunciat, Dominum ædificaturum esse domum Dauidi. Item Genes. 19. Dominus pluit à Domino ignem & sulphur, &c. Nobis enim certum est, Spiritum sanctum non esse stolidum, aut ebrium, inanem seu futilem nugatorem, qui vel apicem, vnum nedum verbum aliquod prorsus sine causa loquatur. Cum igitur Dominus dicatur pluere ignem & sulphur (quæ est persona Filij) à Domino (hoc est, à Patre, à quo est Filius) vna adest & Spiritus sanctus, qui hoc ipsum per Abraham (& quicunq; postea secuti sunt, vt ipse Moses scriptor) loquitur de duabus personis, quarum vtraq; vocatur Dominus, sed ita, vt reuera tres illi simul sint unus Dominus, unus Deus, qui solus pluit ignem & sulphur.



ST IERONIMO.
SIT ZEUS IN GLORIA UNOMITE

...H


153404

AB 153404



SL





Farbkarte #13

B.I.G.



15
**LOCI DOCTRINÆ
principi**
**EX PRIORI
BVS QVATVOR CAPI-
TIBVS PROPHETÆ AMOS EX-
cerpti, & ad disputationum materiam pro-
positi, in Academia Ro-
stochiensi,**

A

**LVCA BACMEISTERO
S. Theologiae Doctore &
Professore.**



ROSTOCHII
Stephanus Myliander excudebat.
Anno 1590.